



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. III. De vtilitate & methodo Theologiæ Scholasticæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

nec cogitauerunt: spiritualibus, Prophetis nimirum, Apostolis, & aliis etiam reuelatum est. Cum vero Paulus, & Isaias dicunt, *Oculus non vidit, nec auris audiuit*, non tantum negant proprium, & quidditatum conceptum illarum rerum, qui posset intelligi illis verbis, *Oculus non vidit*, sed quemcumque alium, qui intelligi posset, cum dicit, *Nec auris audiuit*. Homines enim sua virtute de bonis illius eternae felicitatis ne hunc quidem assequi potuerunt. Cum autem subiungit, *Nobis autem reuelauit Deus*, intelligit conceptum, qui viatoribus sub velamine fidei potest conuenire.

Ex omnibus, quae diximus, colligere licet, quam recte S. Thomas probe, necessarium esse doctrinam sacram, ad habendam veram cognitionem finis nostri, qui nos in alia vita manet. Ex testimonio namque Isaiæ, & Pauli constat, finem nostrum, scilicet bonam, quae praeparauit nobis Dominus, non solum non posse oculis corporeis videri, neque aliquo humano verbo exprimi, sed etiam sola illustratione diuina cognosci. inde ergo recte probatur, finem nostrum esse supernaturalem. Dico autem supernaturalem, non quia ipse possessio sit supernaturalis secundum suam substantiam, & naturam: hoc enim in quaestione positum est cum Scoto, ut supra notauimus, & suo loco disputandum est, sed dico supernaturalem, quia illius notitia, nec ratione, aut studio humano, neque angelico, sed sola Dei reuelatione haberi potest. Quare merito requiritur sacra aliqua disciplina, Dei reuelatione comparata, ad dicendum ea, quae oculus non vidit, nec auris audiuit. Quae quoniam non tam recte à fidelibus, qui adhuc carnales sunt, percipi possunt, quàm à spiritualibus, quibus ita reuelat Deus ut dono intellectus, illa peripicacius penetrent, & plura de eodem mysterio intelligant: ipsis tamen carnalibus eadem, fidei reuelatione, etiam nota, minus tamen perfecte, esse possunt.

DISPUTATIO III.

De utilitate, & methodo Theologiae scholasticae.

*Haeretici vituperant Theologiam scholasticam. cap. 1.
Utilitas Theologiae scholasticae contra haereticos defenditur cap. 2.*

Prima obiectio haereticorum. cap. 3.

Secunda obiectio. cap. 4.

Tertia obiectio. cap. 5.

Quarta obiectio. cap. 6.

CAPUT I.

Haeretici vituperant Theologiam scholasticam.

HAecenus de necessitate huius doctrinae disputauimus, superest, ut de utilitate ipsius, praesertim ut à tempore Magistrum sententiarum ordine scholastico tradita est, aliquid dicamus. Difficultas enim non est de sacra doctrina secundum se, quatenus ex fidei principiis colligit certas conclusiones: hac enim, sacra Concilia, & antiqui Patres magno cum fructu vti sunt: sed de ea, quam scholasticam appellamus, quae à tempore Magistrum in vnius disciplinae, & doctrinae methodum redacta est. Hanc ergo, Tractatores illius, modumque disputandi, & examinandi quaestiones haereticorum nostri temporis vehementer insimulant. Lutherus in libro aduersus Iacobum Latomum di-

cit Theologiam scholasticam nihil aliud esse, quàm ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam, quam praecauit Apostolus ad Colossenses 2. Eandem etiam insectatur in libro de abroganda missa priuata. Et Philippus Melancthon in Apologia contra Parisienses inquit, Lutetiae natam esse Scholasticam, eaque Euangelium obscuratum, & fidem extinctam. Ex quo errore, tanquam ex fonte, reliquos horum haereticorum manasse putauit Canus. Nam contempto scholae iudicio, necesse erat, Hieronymum, aliosque Patres, & paulatim sacra Concilia, atque Pontificum decreta negligere. Ex quo factum est, ut nullum firmum nostrae fidei fundamentum penes eos manserit, sed in ipsorum arbitrio vniuersa fidei definitio, & doctrina fuerit collocata. Ego vero potius arbitror ex deprauatis ipsorum moribus, eorum errores originem traxisse, Lutherus enim ambitionis, & superbiae spiritui accensus, contemnere cepit Romanum Pontificem, eius potestatem, & decreta: cumque nullus esset praeter scholasticos doctores, qui eo tempore ipsius temeritati resisteret, ut mordicus suos retineret errores, necesse illi fuit scholasticam doctrinam contemnere, & exsibilare.

CAPUT II.

Utilitas Theologiae scholasticae contra haereticos defenditur.

Ceterum quod ad ipsam doctrinam scholasticam spectat, negare nemo potest maximam illius utilitatem in methodo, & modo disputandi, atque examinandi quaestiones, ut à tempore Petri Lombardi in scholis habemus. Quamuis enim alij ante ipsum, ut Damascenus, & Anselmus, ordine non multum ab scholastico diuerso aliqua tractauerint: ipse tamen Petrus omnium primus vniuersam sacram doctrinam in methodum reduxit, ob idque Magistrum nomen iure optimo meritis est. Qui vero postea secuti sunt, ut Alexander, Albertus, S. Thomas, & reliqui, licet ordinem mutauerint tractandi quaestiones: modum tamen scholasticum differendi, qui nunc est in usu, retinuerunt, & locupletauerunt. Porro utilitas huius doctrinae primum quidem ex eo colligitur, quod pondere rationum, & disputationum, vel ex sacra Scriptura, vel ex Concilijs, vel ex antiqua Patrum traditione, frequenter etiam ex ipsarum rerum natura petitarum, verum à falso secernitur, & quod non est tam certum, sed vtrique probabile, non tanquam certum fidei dogma, sed ut probabile traditur. Secundo mysteria fidei nostrae, & quae ex illis deduci possunt, certo quodam ordine, & methodo disciplinae disposita, facilius addiscuntur, & memoria retinentur. Postremo denique quantum ipsa scholastica disciplina, & Doctores illius ad tuendam fidem Catholicam in Ecclesia profuerint, vel vna Parisiensis scholae ceterarum mater, huius temporibus nobis argumento esse poterit: quae inter tot haeresum procellas, ciuitatem illam, & maximam Galliarum partem seruauit incolomem. Et tandem anno 1590. in illius ciuitatis Obsidione contra haereticum Biarnensem Parisios obsidentem, ita ciuitatem in fide confirmauit, ut dira fame, & nunquam audita omnes mallent mori, quam haereticum in Regem admittere. Cumque ab aliquibus Dynastis plebs induceretur, ut se potius dederet, quam famae

Ad Coloss. 2.

Philip. Melanct.

Canus.

2.

Petr. Lomb. Damasc. Anselm.

Alexand. Albert. S. Thom.

In methodo disputandi Theologiae quanta sit utilitas.

3.

Parisienſiū in obſidione Catholica conſtantia.

fama periret, semper respondit, se id non posse salva conscientia: quod ita omnes à suis Theologis essent edocti. Videtur sane Lutherus odoratus, quam acriter Parisienses Theologi errores ipsius essent oppugnaturi, quando tam impudenter de ipsis, & eorum Theologia scholastica ausus est loqui.

CAPVT III.

Prima hereticorum obiectio.

Cæterum sunt aliqua, quæ primò aspectu inducere aliquem possent, ut despectui haberet scholasticam Theologiam, propter quæ heretici etiam eam explodunt, & exhibitant. In primis enim negare non possumus, fuisse in schola per multos Theologos, qui quæstiones Theologicas friuolis rationibus tractauerint, in quibus rarissima sunt scripturæ testimonia: ea vero, quibus videntur, non in sensu literali, sed aut allegorico, aut morali, qui ad disputandum, ut plurimum, parum prodest, usurpata: Conciliorum verò fere nulla mentio; quæ tamen duo potissima sunt huius doctrinæ fundamenta. Miscentur etiam ab ijs interdu quæstiones omnino Philosophicæ, aut Metaphysicæ, pueriles sanè, & quæ ad res Theologicas parum sint accommodatæ: quæ omnia à Theologia doctrina aliena esse deberent.

Cæterum vitium hoc non est ipsius Theologiæ: sed iniuria temporum, quibus non tam exulta erant ingenia, & expolite artes, nec tanta librorum copia, inuectum est. Iam verò cum librorum copia sit maior, & ingeniorum longè maior exercitatio, Theologia nostra scholastica, & scripturæ testimoniis, & Conciliorum definitionibus in dies locupletata pro dignitate tractatur. Porro quamvis hæc sint ipsius propria principia, & fundamenta, ubi tamen opus fuerit ratione philosophica ex ipsa natura rerum petita, destituta non est. Hæc enim ad veritates Theologicas comprobandas plurimum valere solent: ut in materia de reum factorum adoratione, licet aliqua ex scriptura deducantur, satis efficaciter, ex ipsa tamen natura adorationis, si rectè expendatur, plurimum potest probari. Hoc verò præsertim locum habet in ijs rebus, quæ ad morum pietatem pertinent, de quibus etiam Theologus disputat; adeoq. sufficiens esse potest huiusmodi ratio, ut ea sola absque alio Scripturæ, aut Conciliorum testimonio, supposito tamen mysterio, & nostræ fidei articulo, aliqua veritas primum ab Ecclesia declarari, & definiiri possit. Conducit etiam plurimum ipsa ratio naturalis ex principiis philosophicis deducta in mysterio Incarnationis, & aliis. Ea tamen modestia philosophicis rationibus & disputationibus vtendum est, ut ad hunc solum finem, quem diximus assumantur.

CAPVT IV.

Secunda obiectio.

Secundo, in scholasticam Theologiam nonnulli etiam Catholici hoc modo inuehantur. Inter Catholicos Doctores quam plurimi sunt, quasi ad discordiam nati, contentiosi, & in sectas diuisi, quibus non tam curæ est, veritatem disputationibus inuestigare, quam scholam suam & Magistrum, in cuius verba iurasse videntur, tueri. Ex qua re ipsi Theologiæ, & veritati non mediocriter irrogatur iniuria. Qui enim certis quibusdam, destinatisque alicuius doctoris sententiis

quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam quæ non probare soleant, constanti causa cogantur defendere, & quæ indicant probabiliora, eadem ratione impugnant; planè profiterentur non tam studio veritatis, quam spiritu contentionis, ad discendum, aut disputandum impelli.

Cæterum non propterea ipsam scholasticam Theologiam contemnere debemus. Hoc enim vitium, si quod est, non Theologiæ scholasticæ, sed morum est. Neque enim Theologia tanquam certum principium supponit, nisi id, quod aut Scriptura, aut definitione Ecclesiæ, aut antiqua Patrum traditione firmatum est. Præter hæc verò, quod melioratio ex ijs principiis deducta probauerit, illud ut sanior, & meliorem doctrinam amplectitur. Cæterum id obesse non debet, quo minus doctissimis Scholasticorum, ob ipsorum auctoritatem, nimirum Sancto Thomæ, & aliis multum in opinionibus deferamus: ac certè temperamento adhibito fieri debere sæpius admonerat Franciscus Victoria eiusdem S. Thomæ discipulus, & acerrimus propugnator, quem refert, & sequitur Canus lib. 12. de locis, c. 1. Dicebat enim tanti apud nos esse debere auctoritatem S. Thomæ, ut ea nobis sit satis, si melior ratio non suppetit: sed tanti Doctoris verba, & rationes sine delectu, & examine non esse accipienda. Imo verò si quid non tam probabile dixisse contingat, ipsius modestiam, & industriam non imitari debere, qui neque antiquioribus Doctoribus fidem abstulit, neque in eorum sententiam, si ratio in contrarium impellebat, transiit. Quare vult non debere nos doctrinæ S. Thomæ ita esse addictos, ut crimè putemus, vel latum vnguem ab aliqua eius ratione, fundamento, sententia, aut conclusione discedere: & omnia, siue quæ in conclusione articuli, siue in rationibus, quibus conclusionem confirmat, siue in argumentorum solutionibus tradit, ita certa existimare, ut nihil certius, nihil probabilius esse censamus; quando nec Augustino, nec Hieronymo, nec alicui ex primoribus Ecclesiæ Patribus in omnibus eorum opinionibus tantum deferat schola Theologorum, ut nunquam oppositum, cum aliis Patribus ut probabilius amplectatur. Videmus sanè ex schola S. Thomæ præclaros viros eius doctrinæ acerrimos propugnatores, scripta illius mirum in modum illustrasse. Caietanum dico, Franciscum Victoriam, Dominicum Sotum, Melchiorum Canum, Bartholomæum Torrensem nihilominus nullam iniuriam Doctori sancto irrogasse, cum interdum maturo consilio, & debita modestia sententiam aliquam eius non probarent. Neque enim Doctorem Angelicum de sua doctrina ab aliis amplectenda aliud iudicium habuisse crediderunt, quam Augustinus de sua habuit, qui in libro de bono perseverantiæ cap. 21. ita scribit: *Neminem velim, si amplecti omnia mea, ut me sequatur: nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepit, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse, demonstrarem.* Hoc eodem sensu idem Augustinus in epistola 19. post initium dixit, se hunc honorem Scripturibus sacris solum deferre, ut aliquid errasse in scribendo nullum illorum crederet, alios verò ita à se legi, ut non putaret aliquid verum, quia ipsi scripserunt: sed quia per canonicos auctores, vel probabili ratione illud suaserunt. Subiungit verò loquens

Franc. Viã.

Canus.

Solutio obiectio.

In Theologia philosophica ratio ipsorum da non est.

loquens cum Hieronymo, ad quem scribebat, *Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo, propterea, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.*

7. Verum enimvero videas aliquos, qui data opera S. Thomæ doctrinam refellere nituntur, & tunc demum gloriosum aliquid fecisse arbitrantur, cum aliquid contra ipsius sententiam, quam Theologi merito suspicere debent, pronunciauerint. Hi sane non leui reprehensione digni sunt: & eos veritatis cognoscendæ viam sibi ipsis præcludere, dubium non est.

Docent igitur prædicti Thomistæ ea animi puritate, & recto veritatis desiderio res dubias, & probabiles, quæ ad nostræ fidei dogmata non pertinent, à Theologo tractari debere, ut etiam auctoritati Beati Thomæ multum sit deferendum, ratio tamen maturè excogitata, si quando inueniri contingat, primum locum habeat. In hisce namque rebus non solum auctoritatis in disputando, sed etiam rationis momenta querenda sunt. Quinto etiam ut ait Cicero, obesse solet interdum ijs, qui discere volunt auctoritates eorum, qui se docere profitentur; desunt enim suum iudicium adhibere, id verò solum ratum habent, quod ab eo, quem habent magistrum iudicatum vident. In his tamen non temerè, sed maturo consilio, & post multum temporis, nec Scholasticorum reiecta auctoritate procedendum est. Quod igitur multi Theologi in questionibus tractandis non rectè se gerant, non Theologiæ (ut dixi) sed ipsorum vitium est. Ob id ergo ipsa Theologia contemni non debet.

CAPUT V.

Tertia obiectio.

8. Tertium propter quod Theologia Scholastica apud nonnullos offendit, est stylus, & incultus loquendi modus, sermo demissus, & vulgaris, barbaris & solacisimis refertus. Hi sunt Rhetoricæ, & Eloquentiæ additi, qui magis verbis, quam rebus delectantur, qui rerum naturas, & proprietates inuestigare, difficultates enodare negligunt; quibus ipsum Scholasticum nomen iniustum est. In quo sane sui Ciceronis, quem ut oraculum in arte dicendi venerantur, doctrinam minime sequuntur. Is enim in lib. de Finibus malorum, & bonorum mentionem faciens Epicuri, inquit: *Oratio me istius philosophandi non offendit: nam & complectitur verbum, quod vult, & dicit plane quod intelligam; & tamen à philosopho, si asserit eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem.* Vidimus sane nostra ætate viros insignes, vulgaris etiam linguæ imperitos, qui tamen summa rerum eruditione doctissimis quibusque admirationi erant. In Scholasticis ergo scriptoribus, non tam linguæ puritas, quam doctrina exquirenda est. Sunt porro vocabula quædam, quibus Scholastici frequenter vtiuntur, quæ licet barbara sint, quia tamen facilius exprimentur, quod circumloquendo vix posset explicari, merito ab ipsis Theologis etiam politi sermonis, ut propria artis usurpari debent. Semper enim licuit (ut ait Tullius) & iam inde ab initio id sibi iuris vendicarunt disciplinarum auctores, ut, quo sua commodius traderent, voces quasdam sibi proprias, & peculiare excogitarent. Denique vitio, & iniuriæ temporum potius hæc Scholasticorum bar-

baries, & imperitia loquendi, quam ipsi sacræ doctrinæ tribuenda est. Hæc enim, si puriori sermone tractetur, non ideo vim suam, & eruditionem amittet.

Cæterum res, quæ in ea tractantur, & modus disputationis, quo veritas examinari debet, multam verborum copiam, nimiam eloquentiam, & oratorium stylum non exposcit: sed verba pauca, quæ ad explicandum difficultatis nodum sufficiant; stylum humilem, planum & breuem, qui tamen obscuritatis causa non sit; sed disputationi magis accommodatus. Cum ergo hæc ita sint, etiam si Theologi antiqui, & recentiorum nonnulli barbarè, & inconcinne scripserint, non propterea Theologia ipsa iniutilis, nedum pernitiola censeri debet.

CAPUT VI.

Quarta obiectio.

9. Quarto, humaniorum literarum studiosi Theologiam nostram iugillant, quod in ea curiosæ quam plurimæ quæstiones disputentur, quæ contra nostræ salutis dispendium poterant omnino prætermitti. Huiusmodi (inquiunt) est, quo distinguantur Pater, & Filius ab Spiritu sancto; an eodem videlicet quo constituuntur; quod nihil ad pietatem pertinere videtur.

10. Sed quamvis verum sit, plures à Scholasticis recentioribus, & antiquis tractari quæstiones, quæ magni momenti non sunt, vel ad dogmata fidei explicanda, vel ad conclusiones Theologicas inde deducendas, plures etiam, quæ difficultatem videntur habere communem cum philosophis, solum mutata materia: qualis est illa; quid nam sit prius ex parte efficientis, infusio gratiæ, vel expulsio peccati: quid verò ex parte passivi, ut 1.2. q. 113. art. 8. videmus; illa tamen de relatione, qua Pater, & Filius ab Spiritu sancto distinguuntur, maxime utilis est. Ut enim infra notabimus, disputatione 147. dum diligenter examinatur, an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distinguere ab eo, in qua etiam quæstione controuertitur, quo nam Pater, & Filius ab Spiritu sancto re ipsa distinguantur; optimum aduersus Græcos sumitur argumentum, qui contra fidei dogmā affirmant, Spiritum sanctum à Filio non procedere.

Fateor quæstionem illam de ordine infusionis gratiæ, & expulsionis peccati, & nonnullas alias, vere esse communes cum physicis, mutata solum materia, quasdam etiam parum ad pietatem pertinere; sed hoc non satis est, ut Theologiam scholasticam tanquam inutilem explodamus: sicut etiam nec multitudine articulorum, & quæstionum, quam alij immerito reprehendunt: nam si hoc vitium est, facile irrepere potuit nimia curiositate Doctorum; profunt nihilominus multa ex his curiosis quæstionibus, ad acuenda ingenia. Quinimo ex illa de infusione gratiæ, aliquod fidei dogma suo loco non parum elucidabitur; quod dum fit, non debet quæstio aliqua curiosa, vel inutilis iudicari; ea ergo saltem Theologia, quæ pure, & sincere Theologicas quæstiones examinat, imò etiam philosophicas, quæ ad theologicas veritates conducere possunt, non est exhibilanda, & irridenda; valeant ergo hi Rhetores, & humaniorum literarum nimium studiosi: nos verò disputationes nostras ordine, quem diximus, persequamur.

ARTI-

9. Theologi sty-
lus qualis ef-
se debeat.

Solutio.

10.

Quæstiones
Philosophi-
cas vtiliter
in Theologia
attingi.

Cicero.

Epicuri.

Res potius
in Theologia
discutenda,
quam elo-
quentia.

ARTICVLVS II.

Virum sacra doctrina sit scientia.

2. **A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod sacra doctrina non sit scientia. Omnis enim scientia procedit ex principiis per se notis: sed sacra doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur: non enim omnium est fides, ut dicitur 2. Thessalon. 3. Non igitur sacra doctrina est scientia.

2. Præterea. Scientia non est singularium; sed sacra doctrina tractat de singularibus, puta de gestis Abraham, Isaac & Jacob, & similibus: ergo sacra doctrina non est scientia.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 14. de Trinit. Huic scientie attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Hoc autem ad nullam scientiam pertinet, nisi ad sacram doctrinam: ergo sacra doctrina est scientia.

10. Respondeo dicendum, sacram doctrinam esse scientiam. Sed sciendum est, quod duplex est scientiarum genus. Quædam enim sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica, Geometria, & huiusmodi. Quædam verò sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ: sicut perspectiua procedit ex principiis notificatis per Geometriam, & Musica ex principiis per Arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum. Vnde sicut Musicus credit principia tradita sibi ab Arithmetico, ita doctrina sacra credit principia reuelata sibi à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod principia cuiuslibet scientiæ, vel sunt nota per se, vel reducantur ad notitiam superioris scientiæ: & talia sunt principia sacre doctrinæ: ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod singularia traduntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur, sed introducantur, tum in exemplum vitæ, sicut in scientiis moralibus; tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum, per quos ad nos reuelatio diuina processit, super quam fundatur sacra Scriptura, seu doctrina.

Conclusio articuli, *Theologia nostra, seu sacra doctrina est scientia.* Probat Sanctus Thomas, quia ea, quæ procedit ex principiis notis lumine scientiæ superioris, vere potest dici scientia: sed Theologia nostra procedit ex principiis notis lumine

ARTIC. II.

Beatorum, quod est superioris scientiæ, ergo vere scientia dici potest.

DISPUTATIO IV.

An Theologia sit vere & proprie scientia.

Status controuersie, cap. 1.

Opinio Francisci de Marchia, cap. 2.

Quid sentierit Henricus, cap. 3.

Sententia Caietani, cap. 4.

Opinio Alberti, & Thomistarum, cap. 5.

Theologiam viatorum non esse proprie scientiam, auctoritate probatur, cap. 6.

Ratio, quæ ab aliis hæc opinio probari solet, cap. 7.

Optima ratio postrema sententia, cap. 8.

Respondetur argumentis aduersariorum, cap. 9.

CAPVT I.

Status controuersie.

Difficultates, quæ tractari solent in hoc articulo, non tam ad Theologum, quam ad logicum spectare videntur, huius enim proprium munus est tradere instrumenta, vel modum sciendi, & demonstrandi, idcirco ipse ex professo tractat de natura, & proprietate scientiæ, & demonstrationis, quæ est proprium instrumentum sciendi, imo huc præcipue spectat tota logica doctrina, nempe ut tradat modum construendi demonstrationem. Logici quidem non signat, nec determinat hanc, vel illam materiam, sed formam describit, quæ cuiuslibet materiæ possit accommodari, & in ea assensum scientiæ gignere, sicut architectus, qui in vili aliqua re format ideam domus ædificandæ, ex qua in pretiosiori materia, alia exprimitur. Tractare ergo, an Theologia sit scientia, ad logicum proprie pertinebat, qui cognita natura, & qualitate principiorum, quæ Theologus assumit, videlicet, qualiter ei nota sint, & perspecta forma syllogismi, quo ex illis colligit conclusiones, facile definire possit, an sit proprie scientia, & veræ scientiæ instrumenta habeat. Verum quia aliquid etiam in his questionibus in disputationem veniet, quod ad Theologum spectat, & ne statim in principio difficultates effugere videamur, ea, quæ ab aliis Theologis in hoc articulo disputata sunt, examinare decreuimus.

Est igitur difficultas, Num Theologia sit vere, & proprie scientia. Theologiæ autem nomine non intelligimus quamcunque de Deo notitiam, sicut enim & fides dici posset Theologia. Neque ea intelligitur, (inquit Durandus) qua quis nouit, quæ traduntur in sacra Scriptura, explicare, & defendere, sicut videtur vltimasse Augustinus 14. August. de Trinit. cap. 1. Sed nomine Theologiæ significamus scientiam, qua quis ex principiis in Scriptura reuelatis, vel Conciliorum auctoritate, aut Ecclesiæ traditione firmatis, & creditis, infert alias veritates, & conclusiones, per euidenter consequentiam. Quo pacto magis communiter capitur Theologia, ut fateatur Durandus, quæst. 1. Prolog. num. 8. sed non tam verè, inquit ille, id quod quæ ratione rectè dici possit, non video. Quinimo hæc videtur eadem cum ea, de qua loquitur Augustinus eo loco: qui enim defendit principia nostræ fidei contra hereticos, debet hoc ipso ex principiis fidei optime deducere conclusiones ut contra Apollinaritas, qui negant in Christo humanam voluntatem, colligere debet hoc modo: In Christo fuit vera humanitas, sed humanitas prædicta

Lib. 14. c. 1. à medio 1000 3.

In eod. art.

Logica munus.

1.

2.

Assumptum.

dicta